*LECTORI BENEVOLO*

*S. P. D.*

# IO. GOTHOFREDVS BERGER,

D. ORDIN. MED. SENIOR

ET PROF. PRIM. h. t.

DECANVS.

GIERINGSCHE BIBLIOTH.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

QVum ad Diſputationem, ſolenni doctrinæ ſpecimine de laterum dolore, qvi pleuriticus a Græcis nominatur, habendam, Patres Academiæ, Civesq; invitandi munus mihi demandatum eſſet, in mentem venit mirari, qvod ſæpe mihi ante oculos ponere ſoleo, qvid cauſæ ſit, qvamobrem in curatione hujus morbi, atqve aliarum ejusdem generis inflammationum, acuta febre implicitarum, multi medicorum in venæ inciſione, tanqvam ſola, omne medendi præſidium collocent; contra non ita pauci vanam eam, maximeqve maleficam fore, exiſtiment; & utrinqve viri non minus intelligentes, qvam uſu præſtantes, ſuis ſe rationum momentis, & firma ad morbos ſanandos experientia, diuturnaqve faciendæ medicinæ exercitatione, tueantur, obſervationes qvoqve, ac valetudinis eventa memoriæ mandent, qvibus commendationem hujus talis remedii firment alii, atqve augeant, alii infelicium memoria exemplorum deterriti evertant. Res qvidem ipſa loqvitur, qvam a venæ ſecandæ conſilio, ex qvo medicina induſtria hominum excoli cœpta eſt, non modo ex antiqvitate Graja Eraſiſtratus, qvem qvidem ex Ariſtotelis filia ſuſceptum Cornelius Celſus, & Plinius, eximie

eximie collaudant, verum inferiorum etiam temporum Chimici præſertim, in primisqve Paracelſus, &, ut multos alios prætercam, Helmontius demum, neqve ita pridem Medici Neapolitani clariſſimi, Th. Cornelius Conſentinus, Lucas Tozzi, ac Leonardus a Capua, abhorruerint; adeo qvidem, ut rarius, ſi unqvam, venam ſolvere hi omnes auſi ſint. Sed longe aliud ſenſerunt, ut priſca mente repetam, Galenus, & qvi in noſtra tempora incidit, Th. VVillis, & multi ejus, noſtriqve æqvales, qvos tam fuiſſe ſangvinarios conſtat, ut ſangvinis detractione plerisqve morbis, præſertim dolori laterum, ac ceteris hujusmodi inflammationibus, materiam nocendi detrahi contenderint, magnamqve ea ſalutis partem contineri putarint. In qva opinionum varietate veritus, ne cui parti temere accederem, ex ipſius morbi natura, & interiore remedii vi, qvam ex enarratione & obſervationibus caſuum, veri ſubſidia judicii arceſſere malui. Nam fallacem ſæpenumero, & errore opinionis conſtitutam eſſe experientiam, neqve obſervationes, niſi cum ratione, qvicqvam ponderis habere, ac ſi ulli arti, ſalutari certe, fallacias non cauſæ, tanqvam cauſæ, ſpecie blandientis, atqve incautis, & temeraria ratione utentibus imponentis, intendi, nemo tam ignarus rerum erit, qvi inficietur. Qvare qvi rem paulo altius repetunt, facile intelligant licet: in hujus morbi curatione non minus ſangvinis, in ſuo per apices arteriarum, qva pars affecta eſt, curſu impediti, atqve a novo ſangvine, continuo ſuccedente, ad impetum, & vehementiorem in illas arterias impreſſionem exagitati, unde tumor ille repentinæ inflammationis, qvem inflammationem vocant, pendet; qvam febrilis commotionis, qva univerſa ſangvinis maſſa conturbatur, rationem habendam eſſe, operamqve

adeo

adeo dandam, ut vitalis ille humorum circulus reſtituatur, & ſangvis omnis æqvabili, placidoqve flumine ſecundum naturæ leges per corpus univerſum progrediatur. Qvorſum qvidem permultum valere venæ ſectionem, ſi cetera conſenſerint, non injuria exiſtimem, propterea, qvod nullum aliud ſuppeditat adjumentum, qvo illam ſangvinis fluxionem, progreſſionemqve, & liberum ex arteriis in venas tranſitum, commodius faciliusqve expediamus. Neqve vero ignoro, pleuritidem pariter atqve anginam, & reliqvas hujusmodi inflammationes, ſolis interdum medicinis diaphoreticis, ac ſudorem excutientibus, qvibus imbutus ſangvis, concitatiorem motum concipit, ac veluti menſtruum evadit, ad diſſolvendas arteriarum obſtructiones accommodatum, de medio eſſe ſublatas. Præſertim cum exempla fidem faciant, ſæpenumero ſolo conſtanti ſangvinis motu, ſive naturæ, uti ajunt, robore, & bonitate, nulloqve in partes vocato remedio, eosdem, & graviores non numqvam morbos, ſedatos eſſe, ac compreſſos. Verum tamen affirmare nihil dubitem, minore periculo, multoqve celerius iſta morborum incendia extinctum iri, ſi portio ſangvinis exhauriatur mature, ac detrahatur. Qvippe cum remedia cetera, qvæ in omnem diffuſa ſangvinis molem, minima ſui parte ad ſedem mali perveniunt, ſi fortiora fuerint, non ſine vehementiore humorum conturbatione, confuſioneqve agant, & plus ſæpenumero damni, qvam ſolatii afferant; aut, ſi mitiora fuerint, tardius & debilius operentur, nec ſufficiant tollendo iſti celeris motionis, & repentini adeo periculi, ac feſtinatam opem poſcenti morbo. Sed nunqvam adducar, ut revulſioni ſangvinis, qvam vocant, ullum honorem habeam, aut qvidqvam, qvod ſalutis ſpem ægroto oſtendat, un-

qvam

qvam largiar. Neqve enim in firmiore inſiſtit munimento, qvam inveterata illorum opinio, qvi in variolis, vel petechiis, ipſaqve peſte, ſangvinem, vena ſecta, ab orbe ad centrum recipi, ſibi, aliisqve perſvadent. Qvæ qvidem ſententia nuper admodum in lucem revocata eſt, cum ſapientisſima Britanniarum Regina, MARIA, variolis extincta, a vena, ſemel atque iterum inciſa, cauſam obitus, toti Europæ luctuoſi, repetendam multi duxerunt. Sed longe aliud præcipit Harvejana obeuntis ſangvinis circuitio, qvæ ſatis declarat, curſum ſangvinis, qvando, aperta vena, mittitur, non tantum ex venis minoribus ad majores dirigi, ſed etiam eundem ex arteriis minoribus magis provocari, atqve adeo ex majoribus qvoqve earum ramis, & qvod huic conſeqvens eſt, ex trunco earum, ipſoqve tandem corde, tanqvam centro, ad circumferentiam ulterius deſcendere. Tantum abeſt, ut ſangvis in orbem actus, vena aperta, itineris rationem conturbet, inverſoqve naturæ ordine, a circumferentia ad centrum, aut a parte laborante ad objectam, ſanamqve, retrahatur. Cujus qvidem ſententiæ qvamvis neminem noſtræ memoriæ in clariſſima anatomes luce retinentem temere cognoverim: tamen mirari ſatis non poſſum, illud revulſionis nomen, delectumq; adeo venarum in eo morbi genere, in qvo verſamur, multis hodieqve probari. Nam qvo demum cunqve ſtudio, reverentiaqve erga antiqvitatem, ſancte tuendam, ducamur, & qvascunqve excuſandi cauſas comminiſcamur, ut revulſionem per arterias, ſectæ venæ conti[illegible]uas, fieri dicamus, qvod nonnullis placuiſſe non ignoro; atqve adeo licet cum CL. Bellino, de ſangv. miſſ. Prop. VI. per mutationem velocitatis, & qvantitatum ſangvinis per canales ſuos explicemus, ſive aliter atqve aliter

in-

interpretemur; tamen minus huic convenire cum peridromo ſangvinis motu, fateamur oportet: qvo qvidem ſtante, perinde erit, idemqve effectum, qvæcunqve tandem vena ſecetur, ſive lateris ſit oppoſiti, ſive laborantis. Atqve, ut rem omnem paucis complectamur, e variis effectis, qvorum alia ab aliis, plura, pauciorave, enumerari ſolent, illud profecto unum omnium eſt maxime exploratum, qvod inciſione venæ ſangvis ea portione, qva exit, minuatur. Qvo qvidem omne id conſeqvimur, qvicqvid a vena ſecta ſperare jure poſſis, ut expeditius ſangvinis iter per arterias, reditusqve per venas procuretur. Nam qvia niſus ſangvinis, arterias tranſeuntis, perpetuus eſt in ſangvinem, procurrentem per venas, ſangvisqve antecedens per venas, impedimento eſt ſangvini per eas ſuccedenti; vena qvalibet inciſa, ita ut ſangvis egrediatur, non tantum ſangvini reſiſtentia per arterias, venæ illi conjunctas, ſed etiam per earundem ramos maiuſculos, majores, & demum truncum ad cor usqve minuatur neceſſe eſt; ſub motoq; adeo impedimento ſuccedenti per venas ſangvini, idem ſangvis primo per truncum arteriæ, e cujus venis continuis ſangvis mittitur, & deinde univerſum ejus flumen per totum genus arterioſum venoſumqve liberiore alveo progrediatur. Ex qvibus amplius intellectu facile eſt, qvum detractione ſangvinis univerſæ ejus maſſæ, qvæ reſidet in vaſis, liberior motus, novusqve vigor, ac niſus per arterias in venas concilietur: curſu illo ſangvinis expeditiore facilius excitari, ac diſtrahi, divelliqve lentorem, vel qvicqvid arterias ſummas obſtruit, & ejici in venas, atqve in circulum vitalem traduci. Præſertim cum imminuta ſangvinis copia, tunicæ vaſorum in toto corpore minus premantur, qvam ante ſangvinem miſſum premi coeptæ ſunt, & tanqvam levatæ ſarcina hu-

mo-

morum, qvos circum ferebant, factæqve vegetiores cordis, arteriarumqve fibræ, novis ictibus, & incitatione validiore impellere ac inſtigare ad motum remorantes particulas qveant, ut repetitis circuitionibus diviſæ ſatis, ac perpurgatæ, ad frugem redeant, & in figuram, motumqve naturalem particularum reliqvarum ſangvinis conſpirent, aut per convenientia colatoria, ac præſertim cutis, renumqve poros, profligentur, atqve e corpore exterminentur. Nam, qvia educta parte ſangvinis, qvod ejus reliqvum eſt, in vaſis evadit minus coactum, & duæ qvæqve ipſius partes in mutuum contactum minus nituntur, minusve ſe invicem apprehendunt, & complectuntur, & major minimorum libertas fit, ac diviſio; neceſſario liberior etiam fit perſpiratio, & ſecretio liqvidorum, derivatioqve per canales qvosvis corporis, atqve adeo cum ob copiam ferventis ſangvinis diminutam, tum ob liberiorem circulum, & exſpirationem, temperari poterit æſtus, & ſecretis, excretisqve particulis noxiis, ad mixtionem, & motum naturalem redire univerſa humorum moles. Veruntamen qvia miſſione ſangvinis preſſio illa, contactusqve mutuus, qvo duæ qvæqve particulæ, circa proprium axem convolutæ, in ſe mutuo nituntur, mutari neqvit, qvin cohæſio ſimul, & expanſio particularum ſangvinis plus minus mutetur: fieri facile poteſt, ut compoſitio qvoqve, & mixtio ſangvinis, intra vaſa fluctuantis, dimoveatur, & novæ particularum conjunctiones, agitationesqve diverſæ, in corpore ſuboriantur, qvæ vel utiles & ſalutares erunt corpori, vel noxiæ, atqve exitioſæ. Vt taceam vitalem elaterem ex ſangvine in cerebrum, nervosqve immitti, unde omnium muſculorum, ipſiusqve cordis, & univerſi corporis, vigor juxta ac robur alitur merito, ac ſuſtentatur.

tatur. Qvæ nos tacite, ſerioqve admoneant, non ſine cautione illud auxilii genus evocandum eſſe, ſed ad ea, qvæ permittunt, vetantve, reſpiciendum ante, qvam vacuefaciendi conſilium ineamus. Qvare ne medici judicium ex ſolo caſuum eventu pendeat, verum etiam jam inde a principio, circumſpectis rebus omnibus, rationibusque gnaviter ſubductis, cognoſcat, quale ſui commodum allatura ſit ſangvinis miſſio, quanta poſſumus diligentia, id quod Hippocrates de nulla non exinanitione præceptum voluit 1. Aphor. 2. æſtimemus virium potiſſimum, & naturæ ægrotantis habitudinem, ipſiusque morbi ingenium, ac mores, tum tempeſtatem anni quadripartitam, & regionum conditiones; ac judicemus ſtudioſe, liceatne per has quoque tuto, & explorata proſperi eventus ſpe, illam vaſorum exinanitionem ſive parcius, ſive uberius moliri. Quo loco, ut alia ſilentio prætermittam, præterire haud poſſum, quod ipſe Galenus III. de morb. vulg. comm. 3. & V. meth. med. ac paſſim alibi confeſſus eſt, venæ ſectionem nec Romæ, neque Athenis, pleuriticis commodam futuram, qvod utraqve urbs magna ex parte ventis Auſtralibus, adeoqve fluxionibus ſit expoſita: Contra in Paro & Helleſponto bene habere, qvia hi objecti ſint ventis a ſeptentrionibus oriundis; idemqve, ut idem ille ait, obſervatum eſt ab Aſclepiade. Qvam in rem doctiſſimus Hollerius, Comm. in laudatum Hippocratis aph. ſcribit: Medicos Narbonenſes reprehendere medicos Pariſienſes, tanqvam ad aperiendam venam audaciores. At Pariſios facile phlebotomiam ferre, qvia perpurgantur a ventis Aqvilonibus, Narbonenſes vero & Lugdunenſes non perinde commode, idqve qva ad auſtrum, & mare interius ſpectant. Itaqve fieri, ut Pariſii pleuritici bene habeant a miſſione ſangvinis; Narbonen-

ſes autem, ac Lugdunenſes male. Nec, mea qvidem ſententia, alia in promtu eſt ratio, qvamobrem Neapoli, utpote Auſtro nunqvam non agitata, tantum abſit, ut vix ægreq; ſuccedat ſangvinis miſſio, ut infeliciter etiam ægrotantibus eveniat, & ſæpiſſime peſtem perniciemqve machinetur, qvod laudatus Tozzi Comm. in Aph. Hipp. i. 2. edoceat, ut de exemplis, qvæ nobis præſentibus commemorata ſunt, nihil dicam. Profecto ut cœlum, ex qvo ſpiritum ducimus, regionumqve, qvas colimus, ſitus, tam ingenia, qvam corpora varietate ſua fingit formatqve, adeo qvidem, ut aliis atqve aliis aut virtutibus, aut vitiis antecellant ceteris ac præſtent, & diſſimili corporum habitu diſſimiles gentes ſint præditæ: ita, cum valetudinis vis elangvit, ipſis differentibus morborum generibus diſtingvuntur, qvæ non eodem, confuſoqve medendi inſtituto invadenda ſunt, ſed diſſimili tractatione curanda. Sed hæc magis ex occaſione diſſerendi, qvam ex juſta operis forma, expoſui, nec perſeqvar longius, qvando illud mihi potius agendum eſt, ut de rebus, qvæ Clariſſimi Candidati, IO. ANDREAE GORMANNI, interſunt, in præſenti laborem. Atqve is qvidem Schœnaviæ ſuſceptus, & educatus eſt a Parentibus, Andrea Gormanno, Antiſtite Sacrorum Seydenſi, viro maxime Reverendo, & longe meritiſſimo, vitæqve ſanctitate, ac emendatæ doctrinæ ratione perſpecto: Matre vero, Anna Maria, natalibus Gerardina, matrona recti moris, qvæ curam inſtituendi cum marito conjunxit, & filiolum cum pietate, tum moribus optimis imbuendum curavit. Hac mature extincta, omnem educationis cogitationem pater ſuſcepit, & appoſitis domi magiſtris, effecit, ut pueri mores, ſtudiaqve probe formarentur. Poſtea

vero

vero, qvam vis ingenii apparuit, M. Chriſtiano Hænelio, Heroldo, Paupilio, Bellio, viris ſingulari doctrina prædi-tis, traditus, non leviter literas attigit, & indolis bonitatem magiſtris approbavit. A. LXXXI. cum M. Chriſtiano Buchero, neceſſario ſuo, & ampliſſimi ſapientum ordinis in hac Academia adſcripto, poſtea ſtudiis Gymnaſii Gedanenſis regendis præfecto, eodem ivit, qvi eum liberaliter habitum, & bonis literis innutritum, A. LXXXIII. patri reddidit, a qvo Magdeburgum in ſtudia miſſus eſt, M. Chriſtiano Goclenio, Gymnaſii Prorectore, & per neceſſitudinem ei innexo, uſus, ſuoqve munere gnaviter functus. Poſtea vero, qvam Goclenio divini cœtus Gardelebienſis cura eſſet commiſſa, Qvedlenburgum doctrinæ cauſa diſceſſit, ut in ratione diſcendi conſilio eruditorum hominum regeretur, ubi ei nulla excolendi ingenii opera defuit M. Samuel Schmidius, peritus ingeniorum exiſtimator, cujus adjutor, laborumqve ſocius M. Kegelius parem in eo erudiendo fidem, & induſtriam præſtitit. Ex Gymnaſio non immaturus exiit, ſed velut delecto induſtriæ habito, emiſſus eſt, cum jam publica luce dignus videretur. Qvamobrem auctoritate Patris A. LXXXVII. Vitembergam ſe contulit, & dato nomine Rectori Academiæ Magnifico, Georg. Mich. Hebero, Anteceſſori multo celeberrimo, in civitatem aſcitus, præclare ſeſe inſtruxit, tempusque in literis & ſapientiæ ſtudiis omne conſumſit. Confectis hujus induſtriæ rationibus, qvibus biennium integrum tribuit, ad divinarum rerum intelligentiam animum adjecit, & viros ſanctiſſimos, ac meritorum fama immortales audivit, arctiusqve ſibi conjunxit, qvi neqve ſtudiis, neqve commodis ipſius qvidqvam detractum voluerunt. Proinde aliqvoties

etiam etiam Seydæ, & Annaburgi ad populum concionatus eſt, & abunde probavit advocatæ concioni conatum, magnamqve de ſe expectationem concitavit. Cum vero in ſe deſcenderet, neqve intelligere non poſſet, arduum atqve homini reverendum munus eſſe, ſuſtinere perſonam ſacerdotis, propterea qvod ad conjungendos cum Deo animos, corrigendosqve mores pertineret, eosqve Numinis cauſam agere, & legatos atqve interpretes divinæ voluntatis eſſe; non minus facile perſpexit, ſe ad tam arduum munus aggredi non poſſe, præſertim cum aliæ difficultates accederent, ac morbis ſæpenumero tentaretur, nec bonis adeo firmisque lateribus eſſet. Quo fiebat, ut in medio ſtudiorum curſu impeditus, animum mutaret, Theologis ſummis, virisque ſanctiſſimis, Carpzovio & Pfeiffero, ne temeritatis labem religioni animi aſpergeret, in conſilium adhibitis, atque adeo venia a Patre impetrata, Artem ſalutarem amplecteretur. Hac mente Principes hujus artis viros Lipſiæ ſibi conciliavit, & Friſii, Bohnii, Rivini, Langii, Schambergeri, ſcholas animo bene præparato adiit, multaque præclara didicit, quæ ad futuram dignitatem progreſſu temporis peramplos ei fructus attulerunt. A. XCI. oblata peregrinandi occaſione, exteras gentes inviſit, cum ſuoque cognato, Io. Benedicto Gormanno; Io. III. Regis Poloniæ, ſanctioris ærarii adſcripto, aulæque illius præfecto, qui ut res controverſas, & contentionis plenas diſceptaret, Lipſiam miſſus erat; in Sarmatiam iter iniit. Qua peragrata, Gedanum ſe contulit, marique trajecto Hafniam petiit, ubi per ſemeſtre ſpacium commoratus, Gaſp. Bartholinum, V. C. de inciſione plantarum commentantem audivit. Hic cum verſaretur, præter opinionem febri

corre-

correptus, graviter ægrotavit, ſed ejusdem doctiſſimi viri cura priſtinam valetudinem recuperavit. Vlterius Norvagiam adiit; inde Amſtelodamum, atque in Academiâm Lugdunenſem Batavam concedere cum animo conſtitutum habebat. Sed conſilium hoc unus, nec inopinatus, caſus pervertit. Nam obitu patrui ad eum delato, a propoſito averſus eſt, & ſuſcepto itinere deſtitit, mari Gedannm in patriam reverſus. Quæ quidem navigatio cum periculi plena, tum magno cum diſcrimine conjuncta fuit. Fracta enim, concuſſaque navi, & omni re amiſſa, in navigio una cum duobus aliis quatuor dies in mari incertis actus erroribus fluctuavit, tandemque ad portum Malmenſem appulſus, periculum evaſit. Ex naufragio igitur, tanquam ſervata tabula, denuo Vitembergam pervenit, artemque ſalutarem acrius repetiit, traditus in diſciplinam viri Nobiliſſimi, famaque percelebrati, D. Chriſtiani Vateri, qui nihil prætermiſit, quod ad CL. Candidatum ornandum, augendumque momentum afferret. Neque vero minorem induſtriam in audiendis doctiſſimis recitationibus illuſtris viri, nunc Regii Daniæ Archiatri, Georgii Franci de Franckenau, collocavit, qui benevolum ei facilemque ſe præbuit, & fovit eum ultro, ac ſua dignum judicavit. Nobis etiam cum artem ſalutarem publice privatimqve explanaremus, præſto fuit, partesque officii magna contentione animi explevit. Quare ut præmium, induſtriæ conſtitutum, jure quodam ſuo nos rogavit, nihil ejus cauſa recuſavimus, & ſemel atque iterum more ac inſtituto majorum ſevere diligenterque explorato, nec pœnitendo profectu cognito ad honores, quos quidem Ars ſalutaris amplisſimos dilargitur, aditum non inviti patefecimus. His

vero

vero adipiſcendis illud reſtare intelligit, ut in conſpectum prodeat, & facta publice ſui copia, præſidio tutelaque Ampliſſimi D. Vateri, ingenii certamen ſuſcipiat. Cui rei qvando d.    M. Octobr. præfinita eſt, omnemqve ſui ſplendorem a veſtra præſentia, Magnifice Academiæ Rector, perilluſtris L. Baro, P.C. & ceteri Viri, pro ſua qvisqve dignitate, obſervandi, mutuaturus eſt, atqve a veſtro audiendi ſtudio, Nobiliſſimi, ornatiſſimiqve juvenes, alacritatem diſſerendi expectat: ab alteris pie obſervanterqve contendo, ab alteris, qvanta poſſum humanitate, peto, ut ſua eum ſpe, qvam veſtra partim gratia, partim benevolentia ſingularem ei attulit, excidere ne patiamini. P. P. Vitembergæ Dom. XXI. poſt Trin.

A. cIↄ Iↄc XCV.

ECqvid opus Gormanne meo Tibi Carmine, honores
Decretos merito cùi Viteberga novit?
De morbo Laterum late dum ſcribis acuto
Inde & acuti animi flamma latere neqvit
Sed latera hæc Chartæ referunt ex ungve leonem,
Et qvibus elogiis ſit veneranda manus
Idcirco ex meritis Phæbus mox tempora cinget,
Et poſt certamen digna brabeja dabit.

ſcr
*Chriſtianus Vater*, D.
*& p. t. Academ Rector*

---

QVæ *boni*, qvæ *mala* ſunt *prudentes* omnine fauſto
Diſcernunt *bona* dant, ſed *mala* rite ſecant.
Sic *Medici Prudentis* erit dare *corpora ſana*,
*Damnaqve Morborum* pellere cuncta procul.
Noxus eſt *morbus* PLEURITIS in *Arte Medentum*,
Non niſi *prudenti mente manuqve* perit.
Tu, GORMANNE *Virum* Te præſtas ſiſtere fauſto,
Dum *Morbi tanti Pharmaca* certa notas.
Hinc *Tibi* contingat *tentata* LICENTIA *felix*,
*Propria* qvæ MEDICIS, hæc *bona cuncta* vehat!
Hæc *bona cunctis* ferat, *ſpes* impleat ægris!
*Gaudia plena* TUIS, complent *omne bonum*!

Johannes Deutſchmann/ D.

---

ANni bis qvatuor lapſi cum nomine Civis
Noſtra modo rutilans purpura *Te* coleret.
Vix iterum poſita virtus *Te* promovet: Euge!
Auſpicio noſtro gloria rite favet:
Gloria virtutem ſeqvitur, ſeqviturqve laborem.
Dignus honor: meritò gratulor inde *Tibi*
Macte diu virtute *Tua Gormanne*, qvieto
Ut lateri bene ſit, ſitqve perenne decus.

*G. Michael Heber*, D.

 Artis

ARtis Apollinae non Te fregere labores,
Nec laeſere tuos aſpera ſaxa pedes.
Sed juga magnanimo conſcendens edita niſu,
Inſtas doctrinae victor adire viam,

*Jo. Henricus Berger, D.*

---

PAlmam prae reliqvis & ſummum ducit honorem
Ad metam citius commodiusqve volans.
Sic & virtuti, qvà metam ſtrenue adeptus
Ex merito dantur praemia digna *Tuae*
Auſis porro Tuis aſpiret ſpiritus almus
Qvo cunctis aegris auxilio eſſe qveas!

*Paulus Gottfried Sperling D.*

---

DEr Sommer iſt bey dir beſtändig heiß geweſen/
Nichts hemmte/ Wertheſter/ dir deines Fleiſſes Lauff/
Drumb/ wenn ietzt andere vor Wein nur Eßig leſen/
So trägt dein ſaurer Schweiß dir ſüſſe Trauben auff.
Hygea fängt dich an mit Malvaſier zu träncken/
Und ſetzt dir Himmelbrodt in güldnen Schaalen vor/
Sie iſt bereit dir gar ein Prieſterthum zu ſchencken/
Und hebt dich/ ihren Sohn/ vor vielen ſchon empor.
Ich wündſche Heyl darzu und tauſend Wohlergehen
Geſegnet ſey dein Rath/ geſegnet iede Cur/
Es müſſe dir das Glück zu deinem Dienſte ſtehen/
So wird die Artzeney dir ſelbſt zur Gold-Tincktur.

Henrich Ernſt Seebach/ Phil. & J.U.D.

---

FAma volat, laudesqve Tuas virtute paratus
Nuntiat, & memores nos favit eſſe Tui.
Sic ſtudiis ſervire juvat ſic fine laborum
Et celebre his ſolis nomen honosqve venit.
Qvid ſupereſt? miratur enim virtutis imago,
Qvae patriæ laudis dat bona ſigna ſuae.
Vota feram: Tuus in melius nitatur Apollo,
Et faveat rebus ſummis Jövc Tuis!

*Ita exanimo. Nobiliſſimo Dn. Candidato, Contubernali olim & olim deſideratiſſimo de ſummis in arte medica honoribus gratulatur*

*Theodoſ. Chriſtianus Franz, Med. Stud.*

(o)